Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1859
Quelle:
Copyright:

pit: *Filia popoli mei induere cilicio* &c. et pluries impressum est. 2) a *fol.* 55. p. 2. Sermones de Festis Domini, B. V. Mariae et Sanctorum, quorum primus *de Natiuitate Domini* incipit: *Natiuitas domini Nostri ihesu christi secundum carnem, ut quidam ajunt* &c. Etiam hi pluries lucem videre. 3) a *fol.* 103. p. 2. Compendium e famosa ejus *Legenda* dicta *Aurea* sive *Lombardica*, aut Vitis Sanctorum. Tria ejusmodi Compendia citant *Quetifus* et *Echardus*, ubi de *Jacobo* agunt, T. I. p. 456; nostrum non memorant, quod in Praeloquio Autorem prodit; ita enim orditur: *Quoniam indiscreta diuisio sententiam lacerat, discreta uero superstitiositates eliminat — Hinc est quod ego hermannus clericorum minimus precibus pauperum inclinatus quendam libellum de sanctorum passionibus colligere propono* &c. Atque ideo Compendium istud *Pronunciamentum excerptum ex passionali* inscribitur. Initium ab *Andrea* Apost. finis in *Dorothea* V. M. Tum: *Explicit passionale de sanctis curtatum et bonum et cetera. domini leonis licet indignus plebani in Cunczendorf.* Locus hic situs est in *Silesia.* Adjecta sunt aliis manibus Officium de S. *Thoma Aquinate* Vita S. *Barbarae*, S. *Sigismundi*, *Willibaldi*, *Herasmi* et *Severini Colon.* item Sermones II. depromti, ut additur, e *Jacobino de Voragine* cum Indicibus, quos inter varia ad temporis historiam notata sunt, quae huc transfero:

Anno Domini M°. CCC. LVIII. obit frater Czyenko.
— — — — LXXI. *obit frater Johannes Prior Ordinis Crociferorum de Zweretycz.*
— — — — LXXVIII. *obit Karolus Imperator terre Bohemie.*
— — — — XC. *obit Serenissimus princeps et prior Semouitus* (Ziemouitus aliis 1383.) *de Thessyn* (Teschinio) *in vigilia sancti Andree.*
— — — — XCIII. *Grande bellum viguit Moravie inter germanos fratres Jodocum et Procopium, et hoc a festo sancti Procopii vsque festum Valentini mart. anno emergenti. quia gens vngarica et australica ibidem fremuit sed minime obtinuit erga Marchionem Procopium, Sed nimium desolauerunt eandem terram et specialiter circa castrum Bzeuecz et ab eodem castro altera pars Jodoci fuere repulsi.*

Anno